



502.

POSITIONES POLITICÆ
DE PACE,

Quas
PRÆSIDE
CHRISTIANO Kōhrenseem/
Phil. Pract. Prof. Publ. & Elect.

Alumn. Ephoro,
Publica disceptationi offert

RESPONDENS
M. JOHANNES CHRISTIANUS
BUCKIUS,

Grafenhain - Saxo.
ad d. XVI. Junii, hor. mat.
In Audit. Maj.



WITTENBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.



Q. D. B. V.

I.

Genus humanum, ut ad discordias defleat vitio, sic ad pacem & concordiam natura ferri testantur origines ejus & incunabula. Quæ ab uno communi, que parente existere voluit Numinis providentia, ut posterius, ex eodem & in eadem geniti, sibi invicem prodesse, pacemque ac concordiam animorum servarent.

II.

Debebant itaque universi ac singuli cognationem sanguinis per animorum conjunctionem, vitæque socialis officia demonstrare, non mutuis odiis atque injuriis sese lacerare, quod lex naturæ prohibet, & beluarum est, nullo juris & sanguinis vinculo sociatarum; nec harum tamen omnium, cum brutorum etiam crudelissima non facile in genus suum sæviant. Vid. *Juvenalis Sat. 15. circa fin.*

III.

Dolendum verò, quod cum reliqua animantia in perfectione sua & officio perstiterint, homo, creaturarum princeps, ab eodem desciverit, brutis ipsis redditus deterior. Cætera animantia, inquit *C. Plinius, 7. Nat. Hist. Proem.* in suo genere probe degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem beluæ ac pisces, nisi in diversa genera, sæviant. At, hercule, homini plurima ex homine sunt mala.

IV.

Præstabat utique, ex quo, per labem illam communem, quæ totum genus humanum infectum misere ac depravatum est, sæpe numero inter mortales lites, ex litibus injuriæ oriuntur, paucorum
dissi-

diffimulatione damnorum retinere pacem, quam multo sanguine reparare.

V.

Quandoquidem vero multis tam perversum, malignumque ingenium est, ut nullo injuriæ illatæ argumento, sed ex libidine animi, falsaque boni alicujus obtinendi persuasione, discedant a commendata tantopere per naturam concordia, arma ipsa, quæ defensionis causa sumuntur a læsis, reducendæ inter belligerantes paci infervire debent. Bellum enim eum in finem geritur, ut pax obtineatur. Ac scite *Seneca* monet, *Epist. 104.* ita cogitandum, quod ex homine periculum sit, ut cogitemus, quod sit officium hominis: alterum intuendum, ne lædamur; alterum, ne lædamus.

VI.

Fundamentum pacis inter belligerantes reducendæ Fides est, sanctissimum humani pectoris bonum; quæ sancte igitur Rebuspublicis, earumque rectoribus est custodienda. Perfidia enim hominem hominibus plane facit infociabilem, DEOque invisum.

VII.

Fidei nomen augustum quidem inter homines, res vero ipsa nomine hoc notata oppido quam difficilis inventu. Quo major adhibenda cautio est, ut talis in eatur pax, quæ nihil fuci, nihil fraudis, vel insidiarum habeat, aut sub cujus nomine vel pactio servitutis, vel involutum bellum lateat.

VIII.

Pax victo utilis, immo necessaria, victori gloriosa. Ea siquidem natura belli est, ut plerosque ex illis, qui secunda fortuna usi sunt, ad postremum perdat; pacis vero contra, ut & victos servet, & victoribus rerum bello paratarum fructum securum reddat.

IX.

Opportunissimum quidem de pace agendi tempus est, dum sibi uterque belligerantium confidit, & pares ambo videntur. Quod si tamen tempus illud præterierit, quodvis momentum idoneum censendum pro pace reducenda, vinculoque societatis per bellum disrupto redintegrando.

X. Damno-

X.

Damnorum bello datorum compensatio, si aliter non convenit, ab utraque paciscentium parte facta intelligitur. Bona vero privatorum pro necessitate Reipubl. aut magna ipsius utilitate tradi quidem possunt, ita tamen, ut civitas damnum illud, quod inde sentiunt, ex publico vel statim, vel ubi solvendo esse caperit, sarciat.

XI.

Firmata pace oblivisci oportet omnium, quæ ab utroque exercitu facta sunt, ut nihil in vultu, & sermone offensarum hæreat, ne gratiæ reconciliatæ fides infirmior videatur. Et hoc est ἀμνηστία, sive lex oblivionis, quam Celeberrimus *Bæclerus* describit per decretum, quo ad expedienda, tollendaque inter partes discordantes firmæ pacis impedimenta anteaكتورum abolitio publica, solennis, jurata communi utrinque consensu sancitur.

XII.

Ad pacem requiritur æviternitas. Nam etiamsi experientia plus satis doceat, exiguo sæpe temporis spatio eandem finiri; illud tamen non obest pronunciatum nostro, cum æviternitas hic capiatur pro non interrupto, & longissime continuato temporis spatio, seu potius negative, ut tempus non esse significetur, intra quod pax defutura sit. Nam ubi hominibus constat tempus, quo ad hostilitatem redituri sint, non tam pax, quam induciæ sunt.

XIII.

Ut pacis caveatur securitati, non tantum obsides dari, sed & sponsores pacis expeti, constituique solent, qui, conventa utrinque servatum iri, fidem suam interponunt. Cui velut fidejussioni *Puffendorfius* 8. de I. N. & G. c. 8. §. 7. recte innexum arbitratur fœdus de auxilio illi parti ferendo, quæ contra pacta invaditur, adversus illam, quæ conventiones pacis violavit.



94 A 7368

ULB Halle
002 928 582

3



10 17




Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



POLITICÆ
ACE,
D E
Kö hrenseen/
ubl. & Elect.
phoro,
ioni offert
DENS
CHRISTIANUS
US,
Saxo.
i, hor.mat.
Maj.
RGÆ,
ZII, Acad. Typogr.

